



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quæ ætas requiratur ad sponsalia de futuro?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

perem & indotatam duxerit, alere eam tenetur, etiam si nullo fructus dotis percipiat; sicuti etiam uxor dives maritum pauperem alere debet, uti ratio naturalis etiam probat.

Ad filios tamen ex se natos, si indigeant, sustentandos, & pie ac honeste educandos, uterque parens tenetur, uti ex Apostolo etiam patet ad Ephes. c. 6. & 1. ad Corinth. 12. maxime pater, qui est caput familiae, ita ut obligatio hac ob inopiam parentum ad avos etiam paternos, & maternos transire possit; & cura illegitimae proles alendae primo trinio matri competat: & quamvis jus Civile hac in materia rigidius videatur loqui, prohibens alimenta praebere a parentibus,

spuriis, seu ex damnato coitu natis *Authen. Ex complexu. Cod. de incestis nuptiis, &c.* mitius tamen est jus Canonicum, rigorem juris Civilis corrigens, ita ut juxta illud parentes quicumque filii etiam illegitimis alimenta moderata praestare debeant. c. *Cum haberet 5. De eo qui duxit, &c.*

§. II.

De obligatione mutua conjugum ad usum, seu actum conjugalem.

Satis multa de hac materia, quae tota prope ad forum conscientiae pertinet, agunt Theologi Morales, qui passim consulti possunt.

TITVLVS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

§. I.

Qua aetas requiratur ad sponsalia de futuro?

AD contrahenda sponsalia de futuro requiruntur septem anni completi, tam in maribus, quam in feminis, prout sumitur ex c. *Liberas 4. & c. Accessit 5. h. 1.* ob usum rationis, communiter cum hac aetate plenum; & hinc non tantum juxta *L. In sponsalibus 14. ff. De sponsalibus*. si in tali aetate usus rationis non habeatur, nulla erunt sponsalia, ob defectum usus rationis, sed etiam, si septennium nondum completum sit (nisi

Compend. Pirking.

malitia suppleat aetatem) quamvis una tantum dies deesset, ita tamen, ut in favorem matrimonii ultima septennii dies inchoata habeatur pro completa. *argum. L. a qua aetate 5. ff. Qui testamenta facere possunt.* & quae ante septennium completum nulla fuerunt, ita, ut nec impedimentum publicae honestatis produxerint, rata sint, si post septennium completum expressè, vel tacite ratificentur.

—*—*—

Pppp

§. II.